3

# ORATIO PARAENETICA

## AD SENATVM ET ACADEMIAM VALENTINAM

HABITA

A P. M. IOH. FACVNDO SIDRO VILLARROGIO

ORD. S. AVGVSTINI DEFINITORE GENERALI

ET ACAD. VAL. THEOLOGO PRIMARIO

QVO DIE

ILL. D. D. FRANCISCVS PEREZIVS BAYERIVS

SVAM BIBLIOTHECAM S. P. Q. V. DONO DEDITAM

IN ACADEMIAE AEDIBVS INAVGVRAVIT.

VALENTIAE:

IN OFFICINA BENEDICTI MONFORT

ACADEMIAE VALENTINAE TYPOGRAPHI.

ANNO MDCCLXXXV.

Digitized by Google

# ORATIO PARAENETICA
## AD SENATUM ET ACADEMIAM VALENTINAM.

PRAETOR AMPLISSIME,
ILLVSTRISSIME PEREZI BAYERI,
RECTORES CIVITATIS MAGNIFICI,
ACADEMIAE ANTECESSORES SAPIENTISSIMI,
VOSQUE
OMNIVM ORDINVM VIRI OPTIMI
SCIENTIA VIRTVTE AC NOBILITATE
CONSPICVI.

Rem nostram publicam litterariam olim quondam longe florentiſſimam, dein ſenſim communi gentis fato collapſam, numquam tamen, quod aliis contigit, ad extremum vſque exitium perductam, ſplendori priſtino breui reſtituendam, iam diu eſt quod grauiſſimis planeque obuiis argumentis ductus confido; reſtitutam vero nulla vnquam temporum rerumque iniuria e ſuo gradu fore deiiciendam, pro maximo quod nobis hodiernus dies attulit beneficio, me non ſperare ſolum, ſed et praeſagire profiteor. Quamquam enim ea eſt humanarum rerum condicio et viciſſitudo, vt omnia, quodam quaſi mundi ſenio et occulta vi, praecipiti lapſu reuolui ſoleant, ac nulla fuerit

A tam

tam industria gens nulla natio, in qua disciplinae quaelibet, etiam illae quae circulum doctrinae constituunt quarumque adiumento vitam recte sapienterque instituimus, a summo fastigio non deciderint celerius quam illuc veterum nauitate conscenderint; tamen quum animaduerto frequentissimi illius casus duo haec potissimum in caussa esse, malorum scilicet librorum copiam, et inopiam bonorum; simulque egregias Mineruae opes contemplor quas ex ditissimis cultioris Europae penubus librariis collectas, Vir praestantissimus, cuius modestiae tantisper indulgeo, summa ac se digna beneficentia in hoc amplissimum Athenaeum inuexit; gloriae nobis accessionem quaerendam magis quam fortunam metuendam esse mihi persuadeo. Fac etenim Academiam nostram tam magnifico dono auctam, excuso penitus seruitutis iugo discusaque caligine, suum denuo splendoris dignitatisque gradum fuisse consecutam: qua, rogo, incultam horridamque barbariem ipsam iri adortum existimas? quo dolo? quibus auxiliis? Nam instructissima Bibliotheca ceu inexpugnabili arce munita, nihil erit difficile optimarum artium Magistris dira ignorantiae corruptionisque tela retundere, ac litterarum gloriam sartam tectam seruare. O! diem nobis felicissimum, exoptatum magis hactenus quam speratum! o mirabilem nostris-

que

que omnium votis expetendam vicissitudinem!Gratulor vobis, et exultans gestiensque laetitia gratulor, Ciues mei, quod ea tempora vobis contingant post hominum memoriam auspicatissima, in quibus publica in ipsis Sapientiae (*a*) aedibus Bibliotheca parata, ad eximiam totius eruditionis laudem consequendam facilis via erit, quum antea aditus vix pateret. Quod prisca feliciter inuenit aetas, quod et vetus adiunxit, et nova exoriente luce recentior attulit, quantum quantum est, in hac Bibliotheca (iure dixerim nostra) coniunctum electum nitidum reperitur. Nulla est disciplina, nullum studii genus, ars nulla, cui sane maxima atque singularia ornamenta mutuari ex ipsa non liceat. In ea Philosophus, in ea Theologus, Historicus, Iurisconsultus, Medicus; quid singulos memoro? quotquot in diuinis humanisque versantur litteris, siue seueriores Musas colant seu alacriores, in ea libros sibi quisque consentaneos reperient: at quos libros? Deus bone! libros, si copiam spectes, innumeros; si delectum, optimos; si ornatum, magnificos; adde etiam rarissimos; quique omnes qui in ipsos forte defigant oculos, nitore ac venustate sua ad se

 le-

(*a*) Academiae Valentinae Sacellum Deiparae Virgini sub Sapientiae titulo dedicatum est; ac illius diplomata Virginis Sapientiae imaginem exhibent.

legendos adliciunt. O paene diuinum vereque singulare munus ac donum! o nos beatos, quibus non sperantibus ac ne cogitantibus quidem, tale tantumque obtigit beneficium! Vtinam rerum ille optimus rector qui Viro sapientissimo ac benemerentissimo eam mentem atque animum dedit, vt suam Bibliothecam, summa impensa et pari diligentia vndique conquisitam, nobis publice paratam vellet ac dono deditam, ipsum fortunet ac perennare sinat, vt eam tot tantisque accessionibus locupletatam videat, vt Ptolemaicae et Attalicae memoriam obruat, ac ceteras in Europa praecipuas longe post se retro relinquat.

Verum enimvero qua ego boni specie deceptus aut inanis gloriae imagine delusus, eo sum dementiae ac stultitiae delapsus? heu! quo me trahit et patriae et litterarum plusquam dulcis amor! Ignoscite mihi, quaeso, Viri prudentissimi, qui rerum commoda, non ex priuato quopiam animi adfectu, sed ex earum pondere metiri consueuistis, ignoscite quod Bibliothecam hodierno die sollemniter inauguratam, tamquam munus aliquod e coelo demissum immodice extulerim, ac summo gaudio et gratulatione susceperim. Nimio plus, fateor, a me libris tributum est, et non satis Academiae nostrae honori consultum, quae omni procul Bibliothecae auxilio, sibi equidem nul-

Digitized by Google

nullo prouentu nec deposito aere praeditae longe difficillimo, Viros omni aetate innumeros edidit, si fortuna plerumque aliis inferiores, numquam certe scientia et doctrina impares. (*b*)

Miramini vero, Auditores, me in ipso statim orationis limine mutato consilio, Bibliothecam tanta tamque nitida ac diuite supellectile instructam, parum nobis fore vtilem veluti innuere, aut saltem id vobis, perinde ac si in ea essetis sententia, ironiae ludificatione adhibita exprobrare voluisse? Neutrum sane; nequaquam. Nam nec ea sum animi leuitate vt tam facile in alia prorsus, nec vestra laetitia, quam summam et plane singularem esse, tum hi vultus atque oculi hilares, tum ornatus iste magnificus a me numquam hactenus in Academia visus significat, vllum ne quidem minimum suspicionis indicium exhibet. Quum vero intelligam non deesse viros, eosque non paucos nec vt sibi videntur ignobiles, qui librorum copiam inutilem esse clamant et adolescentibus noxiam, volui hac mihi caussa dedita, eorum, vt modeste loquar, imprudentiam arguere, ipsosque, vt meliori tandem erga litterarum studia mente at-

que

(*b*) Vir cl. Vincentius Ximenius in Opere de *Scriptoribus Valentinis*, ducentos circiter numerat solo saeculo XVI.; quorum existimatio vel hoc nomine adfatim commendata est, quod ea aetate claruerint in qua pauci admodum hispani Viri, inuita Minerua, calamum arripuerunt.

que animo esse velint, hortari. Itaque ne lues haec teterrima longius latiusque serpat, nostrisue studiis nouam hodie faciem induentibus quodammodo obsit, euellenda est funditus eorum opinio, et librorum vtilitas immo etiam necessitas demonstranda. Donec etenim omnino sit nostris adolescentibus persuasum, libros varios atque optimos, sibi, etiam interea dum institutionibus vacant, legendos esse atque auidissime consulendos (pace omnium dicam quod sentio) frustra nos pristinam studiorum gloriam restitutum ire sperabimus, et, quod in tanta litterarum luce maxime dolendum est, numquam in Schola Viros plene perfecteque doctos habebimus. Adeste igitur, adeste animis Auditores, et qua me antea, de felici Bibliothecae nostrae inauguratione loquentem, excepistis beneuolentia, nunc de illius vsu, quem sane optimum esse oportet, dicturum comiter erigite. Vosque Academici mei ordinis meritissimi Socii, qui rei nostrae publicae litterariae salutem ex hoc maxime capite pendere cognoscitis, mihi libenter adnuite, et pro eo ac potestis, meis conatibus diligenter fauete.

Nolim vero putare quemquam, quum libros varios apprime vtiles, immo necessarios pronuncio, velle me omnium promiscue librorum vsum quibuslibet, ac fortasse singulis adolescentibus permit-

mit-

mittendum. Non eo equidem sum iudicio tam leui tamque praecipiti, vt cygnum et hirundinem iuxta aestimem, aut tremulum artubus hoedum cum fortissimo equo confundam. Ex innumeris qui studiorum caussa huc quotidie confluunt adolescentibus, noui ego perpaucos esse acri ac felici ingenio, nonnullos mediocri, plurimos tardo ac inerti; eos autem, non omnes pari onere fatigandos, sed suo quemque modulo dimetiendos esse quis neget? Quod igitur qui ceteris praestant, ii peculiari quadam atque optima disciplina, pro suscepto videlicet ab illis studio, imbuendi sint; id vero est quod efflagito; quodque ipsa rei aequitas postulare videtur. Cur namque tardo inertique aliorum ingenio, forte sibi tantum proficuo, indulgendum est, aliorum autem viuido et acri, totius reipublicae christianae spei, consulendum non erit? nisi forsitan praeclare satis cum his agi quispiam existimet, si quae alii tarde ac labore improbo vix percipiunt, ipsi facile intelligant, et firma qua pollent maxime memoria retineant. Quod sane quam reipublicae acerbam, atque ipsis quidem adolescentibus deplorandam perniciem adferat, vel me tacente, res ipsa loquitur apertissime. Videas enim adolescentes ab omnibus naturae praesidiis bene paratos et humanioribus litteris sat excultos, Academiae adscriptos, in ipso sta-

tim

Digitized by Google

tim studiorum limine haerere, sensim ad ignauiam delabi, demumque et ipsa Academiae signa deserere. Quid porro in caussa eius rei esse putamus, nisi fastidium quod illustri ingenio et industria praeditis adolescentibus creat semel et iterum iterumque ac iisdem semper adminiculis cocta et repetita lectio? Quum etenim in Academia felices adsequantur Magistros, quorum dexteritate omnia ipsis facilia sunt, quae semel audierunt, ea iterum aegre admodum tractant; quod si id efficere aliquando coguntur, satietas illico perturbat studium, ac fere fit vt ad corporis voluptates et lusum ingenium demum omne conuertant. quo quid esse grauius aut perniciosius potest? Id ergo ne accidat, (quod meum animum vehementer excruciat) hoc extremum et oppido opportunum remedium est, vt praeter eum librum, quisquis tandem ille sit, quem publice enarrandum suscipimus, aliis in eodem argumento versantibus adolescentes minime interdicamus; immo vero Medicos imitemur qui eumdem cibum varia ratione excoctum aegrotanti praebent, ne languens ventriculus fastidio aut nausea adficiatur. Itaque si ab ignauia tutos volumus adolescentes, si eos nostrae disciplinae creditos via recta pertingere metam cupimus, oportebit varia ipsos atque vtili lectione mulcere, qua et satietas caue-



Digitized by Google

uetur, et mira voluptas ac suauitas excitatur. Ita ne vero? tanti est ab ignauia tutos reddere adolescentes, vt hac vna de caussa expediat eorumdem industriam infinita librorum obruere multitudine? deduc ergo eos ad Bibliothecam, et illic litteris addiscendis incumbant, nec Doctores audiant, nec gymnasia frequentent. Chrysippeum enthymema! varii libri legendi sunt: vale igitur scholae dicendum est. Qui sic disputant, mihi videntur nihil habere opus vt cor elleboro purgent. (*c*) At tanti ne est, inquiunt, ab ignauia tutos reddere adolescentes? tanti ergo; vt vel hac de caussa, nisi aliae adessent, varia ipsis atque vtilis lectio iniungenda sit.

Sed est tamen alia, eaque gravissima et certa, quam nisi vobis, Professores amplissimi, exploratam esse intelligerem, desponderem profecto animum, nec in tanto discrimine orationis meae exitum inuenirem. Huc denuo. Academiam hanc nostram non apud nostrates tantum, verum etiam apud exteras gentes non infima nominis et doctrinae laude clarescere, nemo est qui dubitet, nec quisquam erit quin eam gloriam nobis inui-

 deat.

(*c*) Respicit ad Carneadis sententiam, qui vt M. P. Augustinus refert *lib. 1. cont. Cresconium c. 19.* eam de Chrysippo existimationem habuit, „ vt quando cum illo sibi „ esset disputandum, elleboro pur„ gandum cor esse censeret; cete„ ros vel pransus facile superaret. “

deat. Illius alumni hanc sibi peculiarem vendicant laudem, vt quotiescumque de bonarum artium studiis instaurandis alicubi cogitatum est, ipsi omnium primi ad instar siderum statim adfulserint, et in media caligine ignorantiae tenebras longe pepulerint. Sic quo tempore Compluti et Salmanticae barbaries ac sophistice grassabatur, vtramque iam pridem a Nostratibus profligatam fuisse testis est cl. Complutensis Doctor Cardillus. (*d*) Sic etiam, ne altiora repetam, nudius paene tertius hoc vidimus, plurimos ex Valentia, tamquam ex Isocratis schola, viros sapientissimos prodiisse, qui quasi agmine facto bonam Philosophiam, Mathesim, ceterasque elegantiores litteras et Murciae (*e*) et Matriti (*f*) vrbe totius re-

(*d*) Cons. eloquentissimam ipsius Praefationem in Categorias Aristotelis *Compluti* 1558.

(*e*) Ill. D. Emmanuel Rubin a Celis bonae memoriae Antistes Carthaginensis, de bonarum Artium studiis in sua Dioecesi instaurandis cogitans, cl. Virum D. Iosephum Perezium Doctorem Theol. Valentinum et Philosophiae quondam Antecessorem nunc Archidiaconum Cintiliensem D. Fulgentii Seminario praefectum voluit, eiusdemque opera et consilio vsus, ad cathedras illic recens erectas ex Valentia acciuit Antonium *Cabanilles*, Thomam *Fuentes*, Franciscum *Romeu*, Rochum *Izquierdo*, et Iosephum *Serra*, qui studio atque diligentia sua omnes prudentissimi Antistitis spes vicerunt.

(*f*) In Regio Matritensi Gymnasio anno 1770. a Rege nostro Carolo III. litterarum ac litteratorum patrono munifico restituto, prae ceteris qui ex toto Hispaniae regno ad publicam concertationem innumeri confluxerunt, ad cathedas euecti sunt nostrates cl. cl. Iacobus *Pastor*, Ioachimus *Marin*, Iose-

regni domina tradiderunt ac mirifice propagarunt; vt mittam eos qui hinc ad exteras translati oras (*g*) Musas Gratiasque omnes illic commorantes, sibi perquam gratissimas, atque domicilii, quod apud nos praesertim ipsis obtigit splendidissimum, memores reddiderunt. Neque id sane mirandum est; praeterquam enim quod Valentinis ingenium acre et viuidum prae ceteris Hispaniae populis coelo datum agnouit cl. rerum Hispanicarum auctor Iohannes Mariana; (*h*) habet nescio quid hoc Valentiae coelum clementissimum et ferax solum; haec planities suo florum omnisque amoenitatis ornamento virescens; hic locus munditiarum plenissimus, ac aedificiis arboribus circum obtectis, aquarumque ductibus atque diuerticulis venustus et ridens; nescio quid hoc vbertatis habet, quod incolas suapte natura promtos et alacres ad quiduis audendum, ad gerendum comtos et industrios, laboris denique ad perficiendum patientes mira quadam ac celeri grauitate reddit. gratum



sephus *Falomir*, Antonius *Rosell*, Vincentius *Duran*, et Marianus *Pizzi*.

(*g*) Silentio tamen praetereundi non sunt inter alios eruditissimi Thomas *Serrano*, Antonius *Eximeno*, Iohannes Rochus *Andrés*, Emmanuel *Lassala*, Iosephus *Montengon* et Ioh. Baptista *Colomés*, qui maximum apud Italos genti nostrae decus adferre pergunt.

(*h*) Haec sunt illius verba in epist. ad Virum cl. Iohannem Bodinum data Toleti 10. Septembris ann. 1608. „Valentinis prae ceteris Hispaniae populis ingenium „acre et viuidum coelo datum ag„noscimus.“

Mineruae solum ! Quid ergo esse dicemus , cur litterarum studia, apud alios animam, vt sic loquar , agentia, a nostratibus restituta, et numquam intra priuatos parietes non exculta, misere in Academia iaceant, aut saltem pro votis et ingenio non vigeant ? En , quam innui, aliam pro librorum vsu adolescentibus permittendo et rationem et caussam , eorum videlicet ignorantiam. Quamquam enim ratum compertumque mihi est hancce pestem , non ex intermissa solum aut penitus omissa varia atque vtili lectione prcfluere; nec vero sim nescius gentes plerumque aliquas Bibliothecis instructas minime ſuisse ab huiusmodi contagione seruatas ; tamen veram sapientiam, quae ignorantiae vnica expultrix est, sine Bibliothecae auxilio comparari neutiquam posse, facile me demonstraturum esse confido. Ac ne argumentum sane quam ad dicendum amplissimum, sit vobis ipsa rerum copia molestum, statim oculos ad nostram Academiam conuerto , et ex ipsis adolescentibus, seuerioribus studiis vnius tantummodo libri ope nauiter insudantibus , rem solide conficio. Quotusquisque est qui post emensum et ſeliciter absolutum curriculum , se non dicam philosophum , aut theologum , iurisconsultum , aut medicum , sed ne studiosum quidem illius scientiae quam profiteri amat, iure merito appellet ?

Ce-

Cedo; quis eorum nouit, ater an albus sit Newtonus? quis sacra Biblia nisi forte forinsecus vidit? quis Pandectas et Partitas inspexit? quis Hippocratis Opera vel a limine salutauit? Quod si de aliis, quos disciplina quaelibet nacta est, grauissimis Auctoribus eos rogitem, credin eorum quemquam cum illis fuisse familiariter vsum? credat Iudaeus Appella, non ego: nam nec nomina eos nouisse experior; nec librorum titulos audiuisse; quos perperam legunt, si quando eos auctor, vt chartae parcat, decurtatos recenset. Quaenam igitur haec scientia est quae dexteram tam amice iungit cum ignorantia? At scientia est, inquies, elementis contenta, quae in dies varia ac multiiuge eruditione fulcitur. Quum vero haec audio, non possum non cum aliquibus, bonis certe, sed nimium bonis, adeoque pessimis viris conqueri, qui hac velut illecebra capti ac spe delibuti, ignorantiae patrocinium suscipiunt. Vel enim de adolescentibus loquimur qui eo tantum fine studiis incumbunt, vt sibi victum comparent, aut sacris ordinibus idonei sint; vel de aliis quibus cordi est tum ad cathedras tum ad cetera litterarum ornamenta et praemia contendere. Illi, quos multo frequentiores nouimus, mox vt e curriculo emergunt, nihil fere curant nisi vt studiorum fructum quam citissime colligant, libros

au-

Digitized by Google

autem aut penitus abiiciunt, aut honoris tantum caussa retractant; quo fit vt eorum etiam quae didicerunt, obliuisci facile soleant. Qui vero cathedris se addictos volunt (quos aequus amauit Iupiter; amat autem hodieque in nostra Academia plurimos, eos semper excipio) in hoc curam atque operam omnem conuertunt vt sibi quemquam Auctorem seligant argumentis onustum, quae ipsi in circulo tamquam e plaustro iacere in aduersarium possint, et ab eo in se vicissim iacta diluere; reliquos vero libros, quos sane admodum paucos habent, non nisi tamquam canis Nilum attingunt; et in illo vno quem in deliciis habent, turpiter consenescunt. proh dolor! Et eos vnius forsitan libri homines, aucupandos scholae formulis et distinctiunculis mancipatos, quique non solidam et expressam sapientiae effigiem sed fucum et inanes vmbras sectantur, ego vmquam sapientes appellauero? immo vero, me in litteras et Academiam nostram ingratum, nisi personam quam immerito sustinent, ipsis detraxero et adolescentium oculis proprio eos habitu obiecero.

Hominis frons! inquiet fortasse aliquis. quis te ferat Viros de litteris de Republica de Academia nostra bene meritissimos suggillantem, ac de eorum studiis tam audacter abiecteque sentientem?

tem?

tem ? His eos praeconiis oneras? hac insigni laude commendas? apage; nec tuae matri filios quós summa industria ac labore aluit, vecors et ingratus eripias. Vah! si scientia, non inanis illa quidem et garrula, sed grauis et ingenua haberi sine Bibliothecae auxilio non potest, dic, sodes, quo iure doctum et eruditum vocas Mayansium eo nomine vel exteris notum? Piquerium cum Hippocrate comparandum? Climentium et Bertrandum summum par nulli secundum? Mignanam ipsi Marianae aequalem? Martinum antiquitatis helluonem? Siurium Scripturarum interpretem longe nobilem? Toscam fulgidissimum scientiae columen? Lorgam? Enechum? Coracciapum? Salam? Borrullium? aliosque plurimos memoria nostra meritissimos huius Athenaei alumnos? Vbinam quippe ipsi tam eximiae ac solidae eruditionis fundamenta iecere nisi in hac Academia, cuius hodierna docendi ratio hac vna re a veteri differt, quod publicis dictatis liber typis excusus subrogari consueuit? o si vos Mayansius audiret! o si Martinus adesset! o! quas illi querimonias in eorum scriptis passim vbique obuias! Quandoquidem vero duo haec nostrae Academiae lumina sunt exstincta, Vos appello Viri sapientissimi, quos ex hoc ipso loco quam plurimos video ac pro meritis suspicio: qua

via,

via , amabo vos , ad summum istud splendidissimumque scientiarum omnium fastigium peruenistis? quo duce? quo maxime studio? Numquam etenim vestrum quemquam ire fortasse visum mihi contigit , quin Bibliothecae abditos et inclusos inuenerim , dies illic noctesque commorantes. At quae vestra in conquirendis libris sollicitudo! quae impensa in illis exportandis! quae sollertia in tenui prouentu aut rei familiaris angustia! Quando igitur summo Dei ( nam diuinum in re tam maxima consilium agnoscere quis prohibeat ?) Quando summo Dei potius quam hominis beneficio fit , vt quod aliis hactenus aegre admodum nec nisi prouectis aderat librorum auxilium , nobis posthac in promtu semper futurum sit longe optimum et facillimum , abiiciamus tandem aliquando , per Deum , quam adolescentium animis saeua ignorantia intulit opinionem. Sentiant illi profecto quos duces et magistros habeant : Bibliothecam iam inde a primo curriculo praeeuntibus nobis frequentent ; quodque magno cum ipsorum commodo et profectu fiet , clarorum Virorum Opera manu versent et euoluere discant. Huc adeste , huc , ornatissimi adolescentes ; vestram potissimum caussam agimus. Adeste dum : patet iam patet expansis foribus Bibliotheca ; quod felix faustumque sit , eam proni et succin-

cinti adite. Cunctamini vero? Ego egomet vos eo ducam, et ingentes quae vobis illic paratae sunt diuitias ostendam. Heus tu, cuinam das operam disciplinae? An Philosophiae? en tibi omnia tum veterum tum recentium Philosophorum scripta; en Academiarum omnium acta et inuenta; en demum omnia quae saepe audiueris et numquam fortasse videris instrumenta, longe politissima elaboratissima optima, magnis sumtibus huc aduecta; quorum auxilio fiet, auguror, vt suos quoque Valentia Newtonos habeat. An Theologiae? ne stupeas, si nulla forte Scholasticorum Opera hic videas; (*i*) habes pro *Glossis*, Biblia, varia illa quidem et multiplicia, omnium gentium et nationum linguis translata; pro *Sententiariis*, Patrum et Doctorum Opera omnino omnia; pro *Quodlibetis*, Romanae Ecclesiae decreta, et Conciliorum, quae vsquam et locorum et gentium celebrata sunt, Acta; quorum notitiam nisi exhau-



(*i*) Scholastici olim dicti sunt qui optimis disciplinis exculti et in scholis politi erant; quo nomine Hieronymus Serapionem, Beda Prudentium, et Eucherius Gennadium appellat. Vsus deinde obtinuit vt qui via et ratione in scholis disputarent, ii Scholastici dicerentur. Sed eo denique res deuenit, vt Scholasticorum nomen illis peculiare sit qui ex Peripatetica Philosophia potius quam ex fontibus Theologiae fidei dogmata illustrare consuescunt. Ii infinitas quaestiones in Theologiam inuehunt, non leues solum et alienas, verum etiam inutiles, vanaeque ac noxiae subtilitati fouendae idoneas; quo fit vt quum plurima volumina impleant, Theologiam tamen fere insalutatam relinquant. Quorsum igitur nitidissimos nostrae Bibliothecae pluteos tam immensa faece inquinare?

seris, non Theologiam sed Theologiae dimidium possidebis. An vero Historiae? siue ergo vetera monumenta perquiras, seu euoluere annales ames, aut res alicubi particulatim gestas inuestiges, quod hic desideres nihil inuenies. Num Iurisprudentiae? frustra hic quaeres Baldos ac Bartulos; Principum vero leges, iura populorum, et mores gentium, vna cum praeclarissimis Iurisconsultorum scriptis iam inde ab ipso rerum publicarum ortu ad haec vsque tempora, nusquam equidem promtius reperies. Fors Medicinae? en tibi omnia hic adiumenta adsunt, quibus Hippocraticum numen a Galenicis diu oppressum, viri vel aetate nostra non pauci noua gloria cumularunt. Sed quid vos moror? quaecumque tandem vestra disciplina sit, quodcumque litterarum genus sectemini, omnia hic vobis abunde erunt; vtilia; nam inutile plane nihil erit.

Vereor tamen, Auditores clarissimi, ne quum adolescentes librorum vsu adsuetos variaeque lectioni deditos volumus, eos subinde garrulos atque petulantes, scientiarumque fuligine tinctos potius quam doctrinae lacte nutritos dimittere videamur. Quocirca quod in mechanicis quibusque artibus fieri animaduertimus, vt qui illis addicti sunt, instrumenta non solum videant et manu tractent, sed ipsis etiam dextere apteque vti pari-

Digitized by Google

riter doceantur; idem quoque nobis censeo faciendum, si praeclara iuuenum indole abuti nolumus, ac teneras eorum mentes corrumpere. Vt autem nostri huius consilii aequitas et vtilitas pateat, nihil necesse est argumentis rem agere sed exemplis, quae hodiernam hesternamque scholae disciplinam exhibeant, et illius insuper quam librorum vsus exigit, commoda prae se ferant. Ac ne falcem imprudens in alienam messem immittam, quod meo muneri consentaneum videtur, exemplum vnum et item alterum ex Theologia proferam; quod vtrumque vt breuiter illustrem, quis neget quem diebus singulis publice enarramus librum, fortasse nimium seraque coronide longum, inconsultis aliis, libellum esse ac ne ipsis quidem Theologiae rudimentis sufficere? Disserimus sane, ac illius ope omnia discutimus, explanamus; verum quantacumque sit nostra vel docendi facilitas vel erudiendi vis et facultas, possumus ne alias nisi abstractas et a rebus ipsis alienissimas ideas adolescentium animis instillare? Quid porro agent celeres ingenii motus, ad audiendum promti, alacres ad discendum, sed rerum tamen vsu et iudicii pondere destituti? Quo pacto in librorum copia se gerent, qui nec librum pro eorum institutione editum in manus sumere, nedum euoluere didicerunt? Languescent

profecto ingenia iuuenum, et librorum multitudine obruta atque varietate distenta, vana vndique eruditione fluent, quin ex studiis quidquam, neque ad communem adferre fructum, neque in adspectum lucemque proferre possint. quod vitium, hoc praesertim aeuo litteratis familiarissimum, nouo pedantismi vocabulo donari consueuit. Vt igitur ad maiora natis adolescentibus nostra neutiquam desit opera, id maxime enitendum est, vt interea dum ipsos tenui doctrinae rore perfundimus, vna eos ad fluenta ducamus, eisdemque fontium scaturigines indicemus. Sic quum de Bibliis agimus, eorumque maximam ac diuinam auctoritatem adstruimus, vulgaribus praeceptis minime contenti, sacrorum Codicum oeconomiam exponere, atque praecipua tum hebraica, tum graeca, latinaque exemplaria euoluere, et in adolescentium manibus ponere ne grauemur. Sic etiam quum christianae fidei dogmata adserimus, non leuia solum et forte obscura Patrum dicta siue pronunciata aucupemur, sed eorum scripta quam emendatissime edita consulamus, atque traditionem, non ex lacunis, sed ex limpidissimis hisce fontibus hauriendam esse praedicemus. Sic denique quum in controuersias incidimus, pessima illa explosa seruitute, quae scholas tam diu, non sine reipublicae christianae damno

mno

mno et humanae mentis dedecore, vehementer oppressit, veterum ac recentium Theologorum Opera indigitemus, ac tironibus nostris, vt eisdem incumbant, variasque ad trutinam sententias renocent, auctores simus. Id nos equidem si pro eo ac debemus diligenter praestiterimus, certissimam spem habeo fore, vt bonarum artium cupidi adolescentes, totius Encyclopoediae ideam facile adepti, optima quaeque ac scitu dignissima seponant et condant, multo plura ipsi per se inuestigent, ac denique tales sint quales ipsos Respublica ciues, et Ecclesia ministros exigit ac desiderat.

Ergo agite adolescentes, nostrae huius Academiae germina, et totius Valentinae gentis spes iucundissima, agite, ac nouae Bibliothecae fructus suauissimos et vberrimos quam citissime adferte. Nihil vos inde maleferiatorum quorumdam ingenium retrahat; nihil cantilenae a vaniloquis librorum osoribus repetitae. Habetis Patronos optimos ac prudentissimos, quibus nihil est antiquius, quam adolescentes de bonarum artium studiis praeclare meritos praemiis adficere, eosque prae aliis litterarum faece inquinatis, ad summa huius Academiae ornamenta euehere. Habetis Gymnasiarcham vigilantissimum, (j) qui Celayas, Luuie-

(j) Is est perill. D. D. Vincentius Blasco Dr. Professor et Canonicus Valentinus, ac Filiorum Regis nostri quondam Institutor egregius; cuius opera et sollicitudine, nouus in dies Academiae nostrae splendor accedit.

uielas, et Nauarros, strenuos illius in eo munere decessores, in se vno perfecte exhibens, nihil non sataget, vt ne vobis vmquam librorum auxilium desit; nec in studio taedium, nec in vsu vitium subrepat. Habetis denique Magistros sapientissimos, qui de vestra omnium in bonis quibusque litteris institutione solliciti, libros pro re nata optimos et idoneos vobis indicabunt, aperient, explanabunt, suisque eruditissimis animaduersionibus vtiliores efficient. Exserite itaque vires vestras, ac tot tantisque praesidiis aucti, quanta nos hactenus non habuimus, nec quum in studiorum curriculo versaremur, vel sperare vel etiam cogitare potuimus, neruos quoque omnes intendite, vt studio et exercitatione vestra, felicia illa totique Hispaniae regno laetissima tempora cito redeant, in quibus Valentia suos coram vidit et audiuit Strannyos, Viues, Zauallios, Nunnios, Ledesmas, Semperios, Agnesios, Burgos, Perezios, Salonios, Marinerios, Ferruzios, Monlorios, Paschalios, Montannesios, Arcitios Gregorios, Monzonos, Bodinos, Garcias, Iouerios, aliosque sexcentos, quorum gloria cum turpissima ignauiae nostrae exprobratione coniuncta est. O! quam grata posteris et quam iucunda erit de vestris in rem nostram litterariam meritis recordatio! quam Valentinis omnibus honorificum nomen!

men ! quam Academiae nostrae praeclarissima studia ! Tibi vero prae ceteris , Illustrissime Perezi Bayeri , quam laetitiam atque animi voluptatem adferet , tam bene ac tanto cum tuorum ciuium prouentu ac fenore tuam locatam cernere Biblicthecam ! ferreus es , nisi gaudio disrumperis. At frontem contrahis ? Audisis quaeso , nec me tuum nomen longe sacratissimum in ipso demum Orationis exitu proferentem graui ac seuero vultu suscipias. Quid ? datam tibi fefelli fidem ? Id fateor : sed eam hactenus a me liberatam , etiam quando ita res tulit , vt vel nolenti tuum saepe nomen ex imis praecordiis erumperet , id parui ne ducis aut forſitan obliuisceris ? vide igitur quam mihi sis deuinctus. Quod vero te modo vel plane inuitus in ruborem coniecerim , Academiae auctoritas fecit , quae quum pro maximo et immortali qua eam es demeritus beneficio, gratias tibi referre nequeat , has habere cumulatissimas , a me tibi coram suo nomine voluit significatum , et Senatui ac Populo Valentino , summo exsilienti gaudio , publice contestatum. I nunc et cum ea de suo erga te grato animo atque voluntate queritor: nam mea quod interest , nec quod te praesentem intuear , nec quod fidem exposcas , exsequi non desistam. Nec proinde tamen eo vsque deueniam, vt vel tua merita extollam , vel laudes praedicem,

vel

Digitized by Google

vel rei magnitudinem commendem; quam sane Martinus Decanus Alonensis, a se non factam narrans sed quodammodo adumbratam (Vir quippe doctissimus libros suos, quorum ipsi iam caecutienti nullus vsus erat, pretio distraxit) manus sibi intulisse et sua se viscera discerpsisse dolebat; vt non immerito videaris, tua tibi viscera eripuisse, vt eadem nobilissimo tuae matris corpori illis destituto, pro ipsius videlicet instauranda salute infunderes, implicares. Tibi itaque vt morem geram, et Academiae nostrae simul obtemperem, verbo me expediam; sed verbo tamen, quod vobis omnibus, qui huc ad me audiendum conuenistis, infixum animo menteque repostum manere velim. Date operam. Academia Valentina, Virorum litteris ac virtute praestantium fecunda parens, ab Illustrissimo Francisco Perezio Bayerio, summo litterarum statore ac vindice, locupletissima Bibliotheca donata, ipsum inter suos sibi quam gratissimos filios, vt primarium agnoscit, et in memoris gratique animi pignus, pro illius salute Sacrum D. O. M. die crastino faciendum vouit.

DIXI.

VI. Cal. Aug. ann. 1785.

*Imprimatur*
Figueróa.

VA1
1544350